

IOANNES HAIN MEDICVS.



Ioannes natus est Vuiennæ Austriæ ex honesta Hainorum familia, patre Ludouico Pharmacopola. Is à teneris annis humanioribus literis & linguis operam dedit, & earum cognitione magnum sibi nomen comparauit. Postea quoq; Mathematicis disciplinis, Philosophiæ, & Medicinæ incubuit, & adeò in ea facultate profecit, ut Doctoris nomine insigniretur. Eam professionem is magna laude apud Viennenses in patria exercuit, & Græcarum ac Latinarum literarum scientia nuli secundus extitit. Accedebat & uitæ integritas et erga omnes humanitas. Itaque omnes illum plurimum dilexerunt, & in magno loco habuerunt. Clariuit is anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Vu. Lazius li. 4. rerum Vuiennensium.